



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

L.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

seruat iustitiam, & tenetur restituere grauro. cap. 17. num. 96.

Prælatuſ, vel Dominuſ habens iuſ confe-
rendi beneficium Eccleſiaſticum, vel publi-
cum officium, ſi confert illud indigno, pec-
cat, & restituere tenetur, non digno, vel di-
gniori, ſed Reipublicæ. ibidem.

Iuſtitia diſtributiua in officiis vel benefi-
ciis publicis, regulariter loquendo, non dat
iuſ in re vel ad rem. Nec eiſ violatio obli-
gat regulariter ad reſtitutionem. nu. 72. 73.

L A T R O. vide, Fur.

L A U S.

Laus, honor, & fama, ſunt bona inferiora
bonis vitæ, & ſalutis, & maiora bonis
fortuna, ſeu pecuniæ. cap. 23. num. 9.

Laude falſa, aut inordinata gloriari non
ſemper eſt malum. cap. 23. num. 13. vide tit.
Iactantia.

L A V D E M I V M, ſoluere non tenetur
donans, ſed ſic vendens. cap. 23. num. 65.

L E G A T A R I V S tenetur in conſcientia
ſoluere pœnam poſitam à teſtatore, quia
potiuſ eſt legatum conditionale quàm pœ-
na. num. 67.

L E G A

LEGATVM.

LEGATA pia, facta tantum coram duobus testibus, valida sunt, nec statutum in contrarium erit validum, quia præiudicat Ecclesiæ libertati. cap. 17. num. 117.

Legatum, quod pater relinquit filiæ, cui debebat dotem, videtur relictum in solutionem dotis. num. 150.

Legatum à creditore in testamento relictum, non computatur in recompensationem debiti legalis voluntarij, bene tamen debiti legalis etiã necessarij. Et legatum relictum filio à patre, est instar legati relictæ filiæ, scilicet in solutionem dotis. num. 150. 160.

Licitè potest quis legare pecuniam beneficiariis alicuius Ecclesiæ, vt perpetuò singulis mensibus pro legante tot Millæ quotannis dici possint, quot ex lucro pecuniæ ad rationem quinque pro centum. n. 257.

Licitum est legare usum fructum pecuniæ. ibidem. Qui auertendo tabellionem, & testes facit, ne testator relinquat alicui legatum, tenetur restituere. ca. 26. num. 36. de auertente autem restatorem cum dolo, vel sine illo, vide tit. Restit. 2.

Gg 4 LEGA

LEGATI Dispensatio facta sine iusta causa, non valet. Præl. 9. num. 13.

LEGITIMA, est debita iure nature quoad filios pauperes debiles, & inhabiles, qui non possunt se sustentare: non tamen quoad alios. num. 38. c. 26.

LEGITIMVS, vide illegitimus.

L E X I.

Quo ad obligationem.

A Lex humana potest obligare etiam cum periculo vitæ, sed non obligat. Prælud. 7. num. 10.

Quando duæ leges contrariæ concurrunt in aliquo casu, quarum altera est omittenda; illa quæ est maior, debet præferri. cap. 7. num. 1.

Cessante fine legis, cessat lex. c. 15. n. 18. 19.

Lex lata ad euitanda inconuenientia, cessantibus illis cessat. At verò id quod præcipitur in bonum finem, non cessat, licet finis habeatur alia via. cap. 16. num. 36.

Lex humana iusta potest obligare ad mortale: & per legem humanam intelligitur canonica & sæcularis. cap. 23. num. 40. in initio.

Ut autem lex humana possit obligare, aut B
effectu obliget, debet habere has conditio-
nes necessarias.

Quòd sit iusta, id est, *lata ab habente pote-
statem, & ob utilitatem publicam, non con-
traria diuina, & naturali seu supernaturali
legi, & sit subditis equalis.*

Quòd sit promulgata. Quòd sit recepta,
saltem per maiorem partem vniuersitatis.
Quòd non sit abrogata per aliam contra-
riam, vel per consuetudinem. Quòd inten-
dat obligare ad mortale. Quòd desit iusta
causa ab eius transgressione excusans: Aut
non sit dispensatio ad eius transgressionem.
Quòd desit iusta ignorantia. Quòd sit tem-
pus ab ea præfixum pro iis qui non carent
ignorantia iusta.

Igitur lex quæ sit iniusta, vel non pro- C
mulgata, non recepta à maiore parte vni-
uersitatis, vel abrogata, vel obligans ad ve-
niale, vel consultoria & exhortatoria, aut
si datur iusta causa transgrediendi, aut di-
spensatio, aut iusta ignorantia, aut nondum
est tempus elapsum: aut si elapsum, sed iuste
ignoratur lex, non obligat ad mortale: ne-
que ad veniale, excepta illa, quæ intendit
veniale. c. 23. num. 40. 41.

Lex iniusta dicitur ea *qua est lata à non D
habente potestatem, & qua principaliter est fa-*

Gg 5 7a

Lex in utilitatem privatam, aut est inæqualis subditis, aut denique contraria legi diuina naturali vel supernaturali. ibidem. Imò & lex secularis dicitur, & est iniusta: quando est contraria legi Ecclesiasticæ. c. n.

Lex consultoria, vel exhortatoria, nec ad veniale obligat: nisi adfit contemptus verus, tam ipsius legis quàm eius latoris; tunc enim esset peccatum mortale. cap. 19. num. 20. Nouo cap. 20. n. 20. & cap. 23. n. 40. vide etiam tit. Contemptus, & Obedientia, & Consilium.

E Iusta causa semper excusat à mortali transgressorem legis humanæ. Et illa dicitur iusta causa, propter quam legislator, si præsens esset, eum excusaret. cap. 23. num. 41.

Qui bona fide credit iustam habere causam excusantem à lege humana, & ob id nõ feruat, non peccat saltem mort. peccat tamen venialiter. Præl. 9. nu. 14. ca. 21. n. 20. & cap. 23. num. 43.

Quæ sit iusta ignorantia, & dispensatio excusans à tali transgressione, vide tit. Dispensatio, & tit. Ignorantia.

F Non solum lex diuina, sed etiam humana, tam secularis quàm Ecclesiastica, potest obligare in foro conscientiæ ad peccatum veniale, & etiam ad mortale. Quod etiam facere possunt statuta civitatum. Imò & de facto

facto obligant ad mortale illæ leges & statuta, quorum auctores intendunt per eas obligare ad illud, saltem si vt tales receptæ sūt. cap. 23. num. 48.

Secus si earum latores non intenderunt ad id obligare, qualia sunt statuta Dominicanorum, quæ nec ad veniale obligant. Nam & nullæ diuinæ consultoriæ obligant etiam ad veniale, & aliquot earum præceptiuarum tantum ad veniale. num. 49. & 50.

Leges etiam canonicæ, non habentes præceptiua aut prohibitiua verba, sed tantum ordinatiua vel constitutiua, non obligant ad mortale, etiam si sint imperatiui modi: Quæ iuxta communem intelligentiam non significant præceptum, nec prohibitionem. Exceptis illis quæ ponuntur in materia, quæ de se ad mortale obligant. Sed nec tunc manabit huiusmodi obligatio ex vi talis legis constitutiua, sed ex illa lege quæ illam materiam præceperat cum tali intentione obligandi ad mortale: Nihilominus huiusmodi leges ordinatiuæ, extra materiam de se ad mortale obligantem, ad minus obligant ad veniale. Quia animus latoris fuit, vt actus transgrediendi legem, esset vitiosus, qui aliàs erat indifferens, & consequenter esset saltè venialis. Quia verò tunc non præcepit, nec prohibuit, videtur non intendisse obligare ad

ad mortale. cap. 23. num. 49. §. 3. Nullum verbum Latinum ex se significat sufficienter
H legem obligare ad mortale: vnde hæc verba, *Teneas, Debeas, Obligetur, Præcipimus, Obligamus, Vetamus, Mandamus* & alia similia, ex sua primæua significatione non significant sufficienter legem obligare ad mortale, aut animum latoris id intendisse: nam sunt generalia, & apta ad inducendam obligationem culpæ, tam venialis quàm mortalis, atque in dubio intelligenda sunt potiùs de veniali quàm mortali. num. 50.

I Lex enim de non mentiendo officiosè sine damno, de non furando minima, de non ridendo immoderatè, præceptiua est, sed solùm obligat ad veniale. *ibidem. §. 4.*

Notanter diximus ex se, quoniam secus est in lege Ecclesiastica, ex vsu Ecclesiastico & communi interpretatione Pontificum, nisi per aliquod aliud verbum vel signum exprimat, vel significetur solùm obligare ad veniale. num. 52.

L Vnde intentio cuiuslibet legislatoris Ecclesiastici, vtentis verbo præceptiui vel prohibitiui, est obligare ad mortale, nisi per aliud verbum vel signum significetur contrarium; & à fortiori si apponantur hæc verba *strictè præcipimus, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus*, & sub obtestatione diuini iudicij,

iudicij, quæ obligationis incrementum significant.num. 53.

Hoc verbum *oportet* in lege canonica positum, tantum obligat, quantum illud, *debet*, aut *obligatur*. ibid.

Lex quæ continet pœnam præsupponen- **M**
tem peccatum mortale, obligat ad mortale, quamvis non habeat verba præcipientia, seu prohibentia. nam qui vult aliquid, videtur velle illud sine quo id esse non potest. Vnde lex constituens vel præcipiens vel prohi- **N**
bens aliquid sub pœna excommunicationis majoris, aut simpliciter sub pœna excommunicationis, siue addatur ipso iure siue non, præsupponit peccatum mortale: nisi prærequirat monitionem. Non tamen est idem in pœna suspensionis, interdicti & irregularitatis, quæ aliquando sine culpa adhibetur.num. 53.

Præsupponit etiam peccatum mortale lex quæ habet hæc verba, *sub pœna æterna indignationis Dei & SS. Apostolorum Petri & Pauli*. Idem dicendum de quavis lege canonica, quæ continet has & alias coniunctim pœnas temporarias. ibid.

Lex autem humana secularis non obli- **O**
gat ad mortale, eo solo quod habeat verba præceptiva, aut prohibitiua, quia nec primaiva significatio verborum, nec accessoria

ria per vsum sæcularium inducta, nec communis interpretatio Legum, & aliorum legislatorum, qui principaliter inspiciunt pœnas temporarias, talem obligationem indicant. num. 54.

Imò nec leges diuinæ inducunt obligationem mortalis, eo solo quòd latae sint per verba præceptiua. Nec vñus iuris canonici adimit robur iuri diuino, nec addit, vt quatenus est diuinum obliget magis, aut minus, quàm antè illud obligat. Vnde vt sciatur an Deus per suam legem verbum *præcipio* vel *mando*, continentem, voluerit nos ad mortale obligare, ex declaratione Ecclesiæ eiusque doctorum, colligendum erit. cap. 23. num. 54.

P Lex humana etiam præcipiens, præsertim secularis, quæ pœnam temporalem constituit in dubio, ad mortale non obligat, quatenus est lex eius qui eam pœnam temporalem statuit. num. 55. I. Quoniam aliàs oporteret quòd leges humanæ obligantes ad mortale, paucissimæ essent. II. Quoniam qui de duobus propositis alterum affirmat, alterum negare videtur, id est, legislator, qui ad vtramque pœnam obligare potens, pœnam irrogat temporariam, videtur excludere æternam. III. Nam
 consue

consuetudo antiqua interpretata est, vt legum secularium transgressores non peccent mortaliter, nisi cum per eas etiam lex diuina naturalis, aut reuelata, aut canonica ab illis infringatur. num. 55.

IIII. Nam Ethnici legumlatores nil de poena æterna curarunt. Imò & paucissimi Christiani seculares legiflatores poenam temporariam imponentes intendunt ad æternam obligare, ad quam diuina vel naturalis non obligat.

V. Nam lex purè poenalis sine vlla prohibitione poenam constituens, ad nullam culpam obligat, quatenus talis est. ibidem.

Qui constituit poenam, licet non semper obligat ad culpam, nec præsupponit obligationem ad illam: communiter tamen sic. Nam regulariter statuitur ob culpam, quamuis interdum ob causam. num. 56. diximus tamen notanter in dubio. Nam lex quæ vtramque poenam exprimit, vel de cuius latoris animo constat fuisse, ad vtramque obligare per aliam legem, aut consuetudinem, aut per alium modum legitimum sine dubio obligat ad mortale. Ibidem. Diximus denique quatenus est lex eius qui solam poenam temporalem statuit. nam

si tuat

si sunt etiam leges aliorum, qui ad mortale obligare voluerunt, ad illud obligabunt quatenus sunt tales; non enim intendimus asserere, quod una lex, quæ poenam temporariam imponit, tollat aeternam per aliam statutam, maxime quando sunt diuersorum legumlatorum. Denique quod dictum est, legem etiam præcipientem præsertim seculari statuentem poenam temporalem in dubio non obligare ad mortale, locum habet etiam in legibus statuentibus poenam amissionis vitæ vel membri. I. Nam quod dici solet, nempe, eum qui magnam bonorum aut famæ iacturam subit, peccare mortaliter, falsum est, dummodo non adsit alia circumstantia quæ mortalem faciat.

II. Nam licet ille, qui transgrediens legem secularem poenalem, se exponit probabili periculo amissionis vitæ vel membrorum, peccet quidem mortaliter: Hoc tamen non est ob transgressionem illius legis, sed ob violationem quinti præcepti decalogi: imò verò aliquando non erit periculum probabile, si cum transgressione adsit magna cautela. *ibidem.*

V. Quod si aliquis obiiciat, quod sequeretur, iniustam esse legem, quæ tam grauem poenam imponit pro actu, qui non est mortalis: Respondemus, satis esse quod in foro exteriori

riori præsumatur mortalis, quamvis in inferiori non sit talis, & legislator potest, inò de facto præsumit contemptum in eo qui violat legem sine causa iusta. Præterea quia non esset iniusta lex, cuius lator exprimeret se nolle eius transgressorem sine contemptu & scandalo ad mortale obligare: sed velle, ut qui sine iusta causa eam transgreditur, præsumatur per contemptum id facere, & ob id pœnam illam incurrere. ad hæc omnia facit, quòd nonnulli duces laudati sunt, qui ad seruandam militarem disciplinam ob minima furta milites occiderunt. Ibidem.

Item consuetudo communis habet, ut X transgressio legum purè humanarum pœnam temporariam exteriorem constituentium, non sit mortalis in foro interiori, nisi sint tales quæ præsupponant peccatum mortale, vel transgressiones aliarum legum diuinarum naturalium vel supernaturalium. num. 59.

Qui legem etiam sæcularem iustam per contemptum legis & auctoris violat, peccat mortaliter. n. 57.

Transgressio legis præceptiuæ non peccatialis facta per solam incuriam, vel obliuionem leuis culpæ, non est mortalis. n. 59.

Idem de transgressione cum causa probabili.

H h

bili, vel pro tali habita, bona fide, sine dolo. Idem de ea quæ fit per epiceciam credendo intentionem legislatoris non fuisse ita obligare. num. 59.

De eo qui transgreditur legem de Vectigalibus & de Venatione. vide tit. Vectigal, Venatio.

Prælatus imponens pœnam temporariam ipso iure incurrendam, videtur excludere spirituales, etiam si iuberet ne absolueretur sine prævia solutione: quia iussio illa potest operari effectus alios ab isto, & sic non est inutilis. num. 60. Imò potest absolui ante solutionem per Bullam Papæ. num. 62.

Lex in nihilo recepta, ad nihilum obligat, & quoad unam partem receptam, quoad illam obligat solum, vel quoad dispositionem tantum, & non quoad pœnam, vel vice versa. Imò quoad unam partem pœnæ & non quoad aliam. num. 62. Vide tit. Pœna.

Lex humana etiam Ecclesiastica ad exteriorem solam pœnam obligat, si quoad eam tantum est recepta, quamvis legislator ad utramque pœnam intendisset obligare. Ibidem.

Qualibet lex fundata in præsumptione, ligat in foro exteriori, & non interiori, quoties veritas est præsumptioni contraria. c. 23. num. 62.

Lex imponens collegis vel municipibus
penam exclusionis ipso iure, non obligat
ante condemnationem. num. 63.

Non tenetur quis manifestare rem in cō-
missum cecidisse, maximè in foro conscien-
tia. num. 64.

Peccat, qui iussus à iudice soluere pœ-
nam, non soluit; secus, antequam iubeatur,
quamvis in ipsa lege sit imposta ipso iure,
quando pœna requirit aliquam executionē,
ut quando est pœna amissionis bonorum, vel
pœna soluendi certam summam pecuniæ.
num. 76. Secus, si non requirat executionem,
ut pœna excommunicationis, suspensionis
&c. num. 67.

Lex pœnalis aliquando obligat ad pœnam
etiam ante sententiam; sed tunc pœna est
velut pactum conuentionale. num. 67. & c.
25. num. 118.

De legibus quæ prohibent ludos: vide,
ludus.

De lege quæ prohibet vel concedit cibos,
vide Gula. & ibidem de ieiuniis & de festis,
Festum.

Lex æterna quid sit, vide, Peccatum
II. A.

L E X I I.

Quoad promulgationem.

L E X ante promulgationem non obligat.
cap. 23. num. 44.

Lex summi Pontificis, vel Imperatoris, non præfigens tempus, obligat post duos menses à promulgatione facta in prouincia, ibidem.

Lex inferiorum non præfigens tempus, simul atque promulgatur & scitur, obligat. c. 23. num. 44.

L E X I I I.

Quoad interpretationem.

L E G E S, quæ rectè intelligi possunt de pœna maiori vel minori; in dubio, de minori sunt intelligendæ. cap. 23. n. 50. & 55.

Causa finalis legis coniiicitur ex procedendo. cap. 15. num. 18.

Quando duo sunt ita disposita, vt vnum sit metiens, & alterum mensum, lex corrigens, vel limitans metiens, censetur corrigere vel limitare mensum, si eadem ratio militat in vtroque. cap. 22. num. 72.

Consuetudo est optima legum interpretatio. c. 23. num. 58.

De originaria & accessoria interpretatione verborum præcipiendi, & iubendi, vide Lex. I. lit. P. & Q.

LIBELLVS FAMOSVS, peccat mortaliter, qui componit libellum famosum. c. 18. num. 35.

LIBER. Libri amatorij relegandi sunt à scholis. cap. 23. num. 31.

LIBERTAS Ecclesiastica: vide tit. Excommunicatio VI. §. IIII.

LIBERTAS Hominis, vide Bona.

LIBERVM Arbitrium, vide, Anima.

L I T T E R Æ A P O - stolica.

LI E dicitur habere litteras falsas, vel vti leis, qui sciens aut scire debens esse tales, vitur illis. cap. 27. num. 62.

Sub nomine litterarum Apostolicarum in materia odiosa, non includuntur supplicationes à Papa signatæ, quas vocant signaturas. cap. 27. num. 62.

Litteræ Apostolicæ surreptitiè impetratæ, non sunt litteræ falsæ. Ibidem.

Aliud est falsare litteras, quod includitur sub bulla cœnæ: aliud est vti falsis, quod non includitur. ibidem.

L I T T E R Æ Dimissoriae, & licentia ad Ordines, non possunt dari à capitulo Sede vacante infra annum vacationis. Atque poena capituli contra id facientes est interdictum. Ordinati autem minoribus, sunt privati priuilegio clericali: Ordinatus verò maioribus, est ipso iure suspensus ad beneplacitum futuri praelati. cap. 25. num. 68.

L I T T E R Æ Sigillatae. Qui inuenit scriptum in quo aliquis scripsit sua peccata, & legit, peccat mort. nisi fama proximi parum laederetur.

Peccat etiam mort. qui legit schedulam, cuius initium scriptum erat, *Memoria peccatorum*, vel aliquid simile. cap. 18. num. 34.

Qui referat vel legit litteras sigillatas, quæ in secreto obseruabantur, animo laedendi notabiliter, vel dans causam, peccat mort. Referans verò ob curiositatem sine intentione laedendi notabiliter, vel sine probabili periculo eius, solum peccat venialiter. cap. 18. num. 53.

Prælati licite potest referare literas suis subditis missas. Idem de præfecto militum in finitimis hostium locis constituto, maxime tempore belli. num. 53.

Idem de inimico mittentis epistolam ad alium, vel eius cui mittitur, qui potest illam referare, si iuste timet aliquod damnum sibi imminere.

imminere. Potest etiam epistola referari, quando probabiliter timetur damnum alteri tertio. num. 53. cap. 18.

LITIGIVM. Peccat mortaliter qui paciscitur, vel transigit in causa criminali: secus, si cessat scandalum. Item peccat cum obligatione restituendi, qui accipit aliquid vt discedat à lite iniusta. Item peccat sine obligatione restituendi, qui vt vincat in causa iusta, vtitur instrumentis, vel testimoniis falsis. cap. 25. num. 32. vide tit. accusatio lit. E.

LOCATIO
& conductio.

LOCANS domum meretrici, peccat **A**
 mort. cap. 16. num. 15. hoc autem limitatur, quoniam locatur eo fine vt meretricetur; secus si eo fine, vt viuat. cap. 17. num. 195. §. 4. & clericus. cap. 21. num. 25. idem dicendum est de locante domum vsurario. **B**
 ibid. Peccat mort. qui locat arma volenti alium interficere vel iniuste percutere. cap. 17. num. 195. in principio.

Qui mittit locationis pretium per nuntium non habitum pro fidei, cuius dolo vel culpa perit, tenetur restituere; secus si misit

H h * per

per nuntium communiter habitum pro fi-
deli. cap. 17. num. 195.

Quomodocunque percat locatum Do-
mino perit, nisi adfit dolus, pactum, culpa,
vel mora. ibidem.

C Qui pensionem rei conductæ non soluit
Domino, quia non utitur illa, vel quia non
vult, vel non potest per casum fortuitum
contingentem, ex parte ipsius tenetur resti-
tuere. num. 198.

Locator tenetur reddere conductori to-
tam pensionem, vel pro rata temporis, si non
potuit uti re locata, quando confiscata est ob
maleficium locantis, vel data militibus; non
tamen tenetur restituere damnum emer-
gens, vel lucrum cessans. Idem de locatore
compellente ad soluendam integram pen-
sionem domus locatæ conductorem coactū
eam relinquere, ob pestem, vel aliam iustam
causam superuenientem ante finitum tēpus:
solum enim tenetur soluere pro tempore
quo ea utitur. num. 189.

D Idem de locatore nolente deducere par-
tem debitam agricolæ, ob sterilitatem for-
tuitam, quam nec fertilitas præcedentis nec
sequentis anni compensare potest. Non ta-
men tenetur quando solum fructus perce-
pti damnificantur. ibid.

E Sterilitas fortuita est illa quæ ex aliqua
temporum

temporum iniuria contingit sine culpa agricolæ. Cuius vera definitio est, quòd Sterilitas sit illa quam conuentio partium, vel consuetudo, vel communis opinio regionis probat, vel tanta, ut ex tribus partibus colligi solitis, vix dua colligantur. num. 188.

Peccant locator & conductor non seruantes leges locationis & conductionis expressas, vel tacitas. num. 187.

Remissio facienda tempore sterilitatis, nõ **F** habet locum, quando lucrum vel damnum sunt communia, nec quando sterilitas prouenit ex vitio tenuitateve agri, ob negligentiam agricolæ contingens. num. 190.

Neque in pensionibus rerum in longum tempus conductarum, vel locatarum, quamuis maior pars talis rei pereat etiam casu fortuito, modò non pereat tota; quod procedit quando exigua pensio soluitur potius ad recognitionem dominij directi, quam ad solutionem fructuum. Secus, quando pensio est tanta, quòd parum minus solueretur si conduceretur ad modicum tempus. nu. 190.

Est ergo diminuenda pensio ob sterilitatem **G** euenientem casu fortuito. Non tamen est augenda propter fertilitatem prouenientem ex industria conductoris, nec quando ex fecunditate prædij. Secus, quando contingit casu fortuito. num. 191. cap. 17.

Hh 5 Locans

Locans domum suam in certum tempus, potest antequam illud finiatur, colonum remouere ab illa, in quatuor Casibus. I. Quando locauit eam in longum tempus: scilicet in decem, vel, ad minus, in quinque annos: & in duobus primis non soluit pensionem: vel si locauit in minus tempus, tamen non soluit statuto die, nec celeriter satisfacit. II. Quando indiget illa ad suam habitationem. III. Quando domus indiget refectione. IV. Quando conductor abutitur domo recipiendo meretrices &c. num. 193. & 194.

H Locans scienter vasa vitiosa, non patefacto vitio ob quod vinum effusum est, tenetur soluere vinum, & interesse. Secus si ignorauit vitium. Idem de omnibus aliis rebus vitiosis, ex quibus damnum sequitur. n. 196.

Merces locationis & quaelibet pensio soluenda est regulariter loquendo in fine anni, nisi pactum vel consuetudo stet in contrarium. num. 198.

Qui dolo, lata culpa, vel leui sua, vel suorum, infert notabile damnum rei conductae, tenetur restituere: secus, si inferatur ab alio, cui ipse resistere non potest, vel non tenetur; vel contingit casu fortuito absque culpa & mora. cap. 17. num. 199.

Locatio fieri potest cum salario incerto. num. 252.

Peccat

Peccat qui locat oues, vel alia animalia, pensione iniusta: vel cogit agricolam ad solvendam iustam pro tempore, quo desinit laborare, non sua culpa, sed domini: vel casu contingente circa eum, vel animalia: vel cogit ad aestimationem eorum post mortem, vel damnum naturale vel fortuitum, sine dolo, aut culpa leui eius. Quoniam hæc Domino pereunt: nisi agricola paciscatur, vt periculum quoquomodo eueniret, esset commune ei, dato ob hoc pretio, vel diminuta pensione. Imò si absque intentione petendi aliquid vltra debitum ab agricola, ne eius culpa damnum contingat, paciscitur (ne durius boues exerceat) vt dimidium damni, quoquomodo contingentis, ad eum spectet, non diminuta pensione, peccat mortaliter. quia potest mori sine hoc quòd declaret hanc intentionem, vel poterit mutare illam: & tunc ipse vel eius hæredes vexabunt agricolam iniuste. num. 260.

Locationes beneficiorum anticipata solutione in præiudicium successorum non valent. Neque licet locare iurisdictiones Ecclesiasticas, vel facultates nominandi aut deputandi vicarios, in spiritualibus, vel rerum Ecclesiasticarum. cap. 27. num. 150.

*LOCA RELIGIOSA,
vel sacra.*

DORMITORIUM religiosorū non est locus sacer, ita ut fornicatio in eo facta sit sacrilegium: fecus, de cœmeterio. cap. 16. num. 2. in fine.

Dormitorium & claustrum religiosorum, est locus sacer quoad immunitatem Ecclesiæ, sicut cætera loca sacra. Quæ vide tit. Immunitas.

Sacer locus, ut furtum in eo sit sacrilegiū, intelligitur quælibet Ecclesia, Xenodochium, Basilica, Eremitorium, auctoritate Papæ, vel Episcopi ædificata, & cœmeteriū per illos sacratum. cap. 17. num. 95. §. 5.

Quid sit claustrum, quoad clausuram religiosorum, vide tit. Excommunicatio VI.

Locus sacer quoad effectum, ut per effusionem sanguinis vel seminis maneat pollutus, quis sit, vide tit. Ecclesia.

LVDVS I.

In se.

ALVDVS est actus principaliter factus ad recreandum animum per voluptatem: &

& est duplex, bonus & malus. cap. 19. num. 2. Nouo cap. 20. num. 2.

Ludus malus est venialis. ex suo genere. B^s
num. 3. Factus verò principaliter animo lucrandi, potius est negotiatio, & ferè semper est mala, & est venialis. num. 3. 6. Si autem fiat ad subueniendum necessitati, vel alium finem bonum, erit bona. num. 3.

Quando quis tanti vel pluris facit lucrum quàm animi recreationem, tunc ludit principaliter ob lucrum. num. 11. cap. 20.

Nunquam ludus fit mortalis, quamuis fiat animo principaliter lucrandi, etiam notabiliter à potente donare, & nimio ludendi appetitu, nisi quando violatur lex aliqua obligans ad mortale, qualis est eorum, qui noctes in dies vertunt, & è contra, missas obligatorias omittunt, vel subeunt periculo amissionis bonorum, sine quibus non possunt sustentare vxorem, liberos, familiam sustentandam de præcepto, vel aliquid simile. Nec etiam est mortale ex circumstantia loci sacri, nisi specialiter sit prohibitus in tali loco qualis est comediarum prophanarum: vel nisi fiat cum notabili scandalo, vel irreuerentia Dei, vel Ecclesiæ. cap. 19. num. 3. & Nouo cap. 20. num. 3. Imò aliquando potest fieri licite in loco sacro, vt si fiat ad recreandum infirmum.

infirmum ibi existentem. Ibidem.

Numquam fit mortalis ex circumstantia personæ, vel temporis, vel qualitatis ludi, etiam fortunæ, nisi fit aliqua specialis prohibitio. Imò ludus quo magis nititur fortunæ, eo aptior est ad recreandum. n. 3.

Vnde leges vetantes ludos fortunæ magis quàm industriæ, non intelliguntur in ludo factò causa recreationis, quamuis ludatur aliquod pretium. num. 7.

Omnibus verò laicis & clericis prohibetur ludus aleæ in vniuersum, *per quem significatur omnis ludus principaliter nitens fortunæ.* num. 7. Vnde peccat mortaliter qui ludit rem notabilem, ludo sibi prohibito sub mortali; vel cum eo, qui donare non potest; vel cum potente donare, metu tamen coacto, vel per fraudem decepto. num. 5. Quis possit donare vel non, vide tit. Donatio. lit. C. D.

H Quibus adde, quòd etiam, stultus, puer, mancipium, prodigus, coniux, & alij similes, non possunt donare. Potest tamen filius sub potestate patris constitutus, qui de eius licentia versatur in scholis, vel in curia, de suo comiteu quatuor aut quinque de cētum, quæ dantur ei ludo, impendere. Idē dicendum de religioso, qui studet, aut negotiatur impensis sui Abbatis, modò id honestæ

nesta recreationis causa faciat. Quia pater & prælatus tacitam eius rei facultatem eis facere videntur. num. 12.

Qui cogit alium ad ludum, non potest licite lucrari. Coactio autem non est sola inuitatio, vel inductio consueta, sed ea quæ fit iusto metu, vel grandi reuerentiali vel timore exprobrationis, ne, quia inuitatus renuit ludere, vilis & abiectus habeatur. cap. 19. num. 13. Nouo cap. 20. num. 13.

Qui ergo lucratur aliquid notabile, etiam ludo licito, à non potète donare, vel attracto per vim, vel dolum, tenetur restituere. n. 13.

Licitum est ludere spirituale lucrum, vt preces dicendas à victo. num. 7.

Peccat verò mortaliter, qui ludit cum notabili irreuerentia Dei. Quod potest fieri etiam dictis miscendo verba sacra & diuina, ad scurrilia in ludis dici solita. Item peccat mortaliter qui factis in se mortalibus ludit, admiscendo verba aut gesta impudica, & alia mortalia. Idè de eo qui ludit cū magno scādalo, vel notabili nocumèto proximi, vel probabili sui periculo. num. 4.

Peccat m. qui dissimulando, vel occultādo suā magnam ludiperitiam, attrahit ad ludēdū longè imperitiorem: aut falsis talis, vel chartis vtitur, vel leges ludi cum notabili damno collusoris transgreditur. num. 17.

Idem

Idem dicendum de ludente non appo-
ta pecunia cum iuramento soluendi, & non
soluit. His addédi sunt tres casus in quibus
idem dicendum est. Primus, de eo qui scien-
ter ait se habere plura puncta, quam habet.
Secundus, de eo qui aduertit collusorem er-
rore calculi dicere se habere pauciora, &
non monet. Tertius, de eo qui accipit ma-
num. Sed hic non tenetur restituere quan-
tùm lucratur, sed quantum valet illud ius
prioris loci; qui tres casus tantùm habent
locum in damno notabili. ibidem.

Inspector ludi quamuis non admonet
ludentem, qui errat in non computando,
vel non capiendo priorem locum, si id non
promisit, non tenetur restituere. num. 17.
Neque inspectores ludi, quibus ludentes
dant aliquid ex lucratis, tenentur restituere,
nisi quando lucrantes ad id tenentur. num.
18. in fine & Nouo num. 19.

Qui ludit credita pecunia, non tenetur
soluere secundum leges Hispaniæ: imò se-
cundum multos nec in alio regno. Si verò
iurauit, tenetur soluere. Poterit tamen vel
antequam soluat, petere absolutionem iu-
ramenti: vel soluta repetere. num. 17.

Qui tenetur restituere lucrifac-
ta vni, non potest cōpensare lucrifac-
ta ab eodē in eodē ludo, & etiā in diuersis: quāuis vni sint liciti,
&

& alij non; siue vterque sit habilis, siue inhabilis ad donandum, siue alter habilis & alter inhabilis. Qui verò falsis chartis, vel alia fraude lucratur, non potest compensare cum iustè lucrifactis ab eodem. num. 18.

Peccat m. qui ludentibus ludos mortales, subministrant necessaria; nam cooperantur eorū peccato. n. 15. & vt plurimum inuitant, & iuuant eos ad tales ludos. n. 16. Idē dicendum de inspectore Ecclesiastico cuius præsentia est causa quòd ludo mortali ludatur. Et de eo qui debens ex officio prohibere, non prohibet talem ludū: laicus autē, qui non est causa talis ludi mortalis, neque delectatur eo, quatenus talis est, sed solum arte & industria ludērium, non peccat m. spectādo. n. 14.

Monachus & clericus spectans multo tempore ludum mortaliter malum, vel si venialiter tantum, sed eo animo, vt si esset mortalis, etiam spectaret eum, peccat mortaliter: secus, si paruo tempore vel sine tali animo. ibid. Iuramentum de non ludendo non debet relaxari, eo quòd ludens habeat magnum desiderium ludendi. cap. 12. num. 11.

L V D V S I I. Monachi, & clerici beneficij, & sacris initiati, prohibentur sub m. ne ludant ludis aleæ seu fortunæ, illicitis, quantitatē notabilem fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum: imò etiam de bonis patrimonij

rimonialibus. cap. 19. num. 9. Nou. cap. 20. num. 9. 10.

De clericis in minoribus, non habentibus beneficium Ecclesiasticum, idem dicendum est quoad ludum, quod de laicis. num. 10. Nam laicis non prohibetur sub mortali per legem humanam ludus etiam principaliter propter lucrum quamvis magnum. num. 10.

Filius nondum emancipatus, & monachus, de licentia Patris, vel Abbatis, versantes in scholis vel in Curia, possunt ludo aliquid impendere licito. num. 12. Atque filius talis plura potest ludendo lucrari, quam perdere: dummodo non alliciat alium ad ludum, falsumque dicendo, se habere potestatem donandi & perdendi. num. 12. & 13.

L V X V R I A.

Est vitium inclinans ad inordinatum usum *venereorum*. Estque vitium capitale: & vincitur fugiendo. Eius filia sunt, Cæcitas mentis, Præcipitatio, Inconstantia, Inconsideratio, Amor sui, Amor huius mundi, Horror futuri, Odium Dei. cap. 23. num. 112. & 113.

Habet sex species fornicationis. I. Est, Fornicatio simplex inter solutos. Soluti hic intel

intelliguntur vir & fœmina, soluti ambo à vinculo Matrimonij, Cognationis, Affinitatis, Ordinis sacri, Religionis, voti, vel infidelitatis. I I. Est adulterium, scilicet quando alter, vel vterque, est cõingatus. I I I. Incestus quando ambo sunt consanguinei, vel affines: & in his etiam est necessariò exprimens gradus, primus vel secundus vel tertius vel quartus consanguinitatis vel affinitatis. Item quando sunt coniuncti cognatione spirituali. Item quando alter, vel vterque, est religiosus professus, vel vir est ordine sacro insignitus, licet illa sit religiosa vel non: quanquam horum crimen sacrilegium aptè dici potest. num. 3. cap. 16. §. 1. 2. & 4. I I I I. Stuprum quãdo scilicet fœmina est virgo: non tamen sufficit quòd vir sit virgo. num. 3. §. 1. sed oppositum dicit. cap. 6. num. 7. Nou. num. 8. V. Species raptus, quando aliqua contra voluntatè ipsius, vel patris, violenter extrahitur à domo sua, quamvis fiat ad ducendum illam post copulam habitam: & etiam quando violenter extorquetur, siue fœmina sit virgo, siue non. de pœna raptoris. vide tit. raptus. V I. Contra naturam, quando non solum peccatur contra naturalem rationem, sed etiam contra ordinem à natura præfixum, ad habendam copulam. cap. 16. num. 3.

Fornicatio simplex est peccatum mortale, & contrarium asserere, est hæreticum. cap. 16. num. 1.

A peccato mortali simplicis fornicationis nulla excusat ignorantia, neque existimare quòd possit fieri cum meretrice, quia est ignorantia iuris naturalis, quæ non excusat; neque timor mortis, neque infamia, neque pudor vociferandi, neque timor infamiae quæ ex vociferatione sequeretur. ibidem.

Ad hoc ut quis peccet mort. sufficit adhibere huiusmodi fornicationi voluntatem & consensum etiam coactum. Nam debet prius omnia mundi mala pati, quam illi consentire. cap. 16. num. 1.

Fœmina, quæ, quamvis non consentiat, tamen ex metu aptat suum corpus ad actum turpem, peccat mortaliter. ibidem in fine.

Quæ verò vi opprimitur, non peccat mort. non se defendendo, neque manibus, neque membris (ut ait Sotus) neque clamore, sed satis esse, ut non consentiat, neque se præparet ad actum turpem: sed difficile est hoc, ut honesta fœminæ non se defendant aliquo modo. Non tamen tenetur manus iratas iniicere in vim inferentem, vel clamare, ita ut peccet mortaliter, eo quòd non clamavit, vel manus non iniicit, dummodo
nulla

nullatenus consentiat; neque peccat eo solo, quòd non resistat: Neque verò si resistit, quo potuerit modo, malè faciet, sed bene: imò in foro exteriori damnabitur, si saltem non clamauerit. Itaque ratio peccati est, in eo scilicet, si consentiat, vel si nò consentiat, saltem ex metu etiam mortis, & appet sua membra ad peccatum fornicationis cuiuslibet speciei. cap. 16. num. 1.

Vis omnino absoluta excusat à peccato mortali; illa scilicet, qua sine vlllo consensu absolute cogitur quis adulterari, vel fornicari, adeò vt virgo omnino resistens, & nullatenus consentiens, per talem vim absolutam violata, non perdit virginitatem saltem coram Deo: etiam si de actu ipso delectationem percipiat, modò neque in actum neque in delectationem voluntate deliberata consentiat. Nam talis delectatio est naturalis tantummodo. cap. 16. num. 1.

Fornicatio fidelis cum infideli, inducit nouam circumstantiam necessario confitendam. num. 3.

Simul ac veratur copula quauis illicita, vetatur etiam eius desiderium, consensus deliberatus, aut propositum illam committendi. Imò consensus delectandi, se in ea, vel per solam cogitationem, vel per aliquem sensum corporeum, etiam si nullum adit

propositum illam perpetrandi : nam quilibet horum est peccatum mortale.num.2.

Cogitationes, desideria, propositum, consensus, verba, & tactus, habent easdem circumstantias, seu species, quas habet fornicatio, vel luxuria.num.3.& cap.6.nu.8.9.

Mulier soluta intelligitur quælibet cœlebs non virgo, etiam vidua, dummodo careat aliis obligationibus, & vinculis supra dictis. Vir autem cœlebs etiam si sit virgo, solutus dicitur, si careat eisdem vinculis supra notatis.lit.A.cap.6.num.8.§.5.

De Adulterio.vide plura titulo, Adulteriũ.

Circumstantia loci sacri in materia luxuriæ, necessario est confitenda. Quid sit quoad hoc locus sacer, vide Ecclesia.

Fornicatio autem in dormitorio religiosorum non est sacrilegium, neque facta in quolibet alio loco sacro quartæ speciei. Secus, si in Ecclesia, aut cœmeterio, aut in locis sacris tertiæ speciei.num.3.§.3.

Verba & actus turpes non sunt necessario confitenda, dummodo is cõfiteatur fornicationem quam illa consequuntur. cap.6.num.7. Idem de osculis & amplexibus turpibus.num.17. & hoc non solum precedentibus copulam, sed etiam de sequentibus eam.additum in Nou.num.17.quod verũ est, licet sit aliqua notabilis interruptio.
nam

nam licet sint diuersa peccata etiam in genere moris, non tamen sunt necessario confitenda, additum in Nouo.num.18. corol. 1.

Species contra naturam supra assignata potius est genus, vel species subalterna continens alias species, vel circumstantias specialissimas necessario confitendas. num.3. in fine. I. est cum quis rem habet cum femina tali modo, ut illa non concipiat. num.9. etiam si sint coniuges. num. 33. II. Quando effunditur semen extra vas, etiam inter coniuges. nu. 3. & 33. vel alio quouis modo tit. pollutio voluntaria, quae vocatur mollicies. de qua vide tit. Pollutio. III. Copula Sodomitica etiam inter coniuges habita. IV. Copula cum iumento. num.3. §.1.

Species incestus supra posita, habet etiam tot species specialissimas necessario confitendas, quot sunt differentiae cognationum, & quot gradus habet consanguinitas; imò & affinitas ex copula licita, vel illicita contracta. c.16.n.3. in fine. & n.35. & c.22.n.41. & c.7. num.4.

Debet enim explicari numerus graduum usque ad quartum inclusiuè in consanguinitate. num.3.c.16. & idem in affinitate ex copula licita. num.35. & in affinitate ex copula illicita usque ad secundum tantum, ut de-

ducitur ex. cap. 22. n. 41. Denique debet explicari an cognatio sit specialis, vel carnalis, vel legalis. c. 16. n. 35. c. 22. n. 40.

Qui rem habuit cum virgine, vel pro tali habita, sine dolo, nec deceptione, quia illa se obtulit, vel leuiter rogata concessit, non tenetur ei restituere in conscientia. Primo: *nam scienti & volenti nulla fit iniuria.* Secundo: quia lex, quæ obligat deflorantem ad satisfaciendum, loquitur tantum de decipiente. Secus, si præcesserunt importunæ preces, quæ quoad hoc æquivalent coactionem. Secus etiam in foro exteriori, quamuis femina non probet se virginem. Satis enim est, quod ipse non probet contrarium. iure namque præsumitur fuisse tunc virginem, & fuisse deceptam. cap. 16. num. 16.

Est pœna defloratoris in foro exteriori, quod dotet eam, & ducat in vxorem: vel quod dotet eam, & cædatur fustibus. Ibid.

Qui etiam dolo, vel importunis precibus, deflorauit virginem, ad nullam restitutionem tenetur, dummodo illa æquè benenubatur ac si esset virgo; nec maritus eius corruptionem deprehendat. tenetur tamen satisfacere pro illa iniuria per pœnam impostam vel imponendam, licet nullum damnum restituibile illi eueniat; nam satisfactio differt à restitutione, sicut genus ab specie: satisfactio

tisfactio namque etiam habet locum, licet nullum damnum restituibile eueniat: satis namque est quod illata sit iniuria, licet hæc non sit restituibilis. at verò restitutio solum habet locum, quoniam illatum est damnum pretio æstimabile, additum in Nou. num. 17.

Qui importunis precibus, & falsis promissionibus, absque pollicitatione ducendi eam in vxorem, decepit & corrumpit; in utroque foro tenetur satisfacere: in exteriori quidem ad id quod supra dictum est: in interiori autem, tenetur ad ducendum eam, vel saltem ad faciendum vt maneat contenta, vel ad resarciendum ei omne damnum, quod ei inde euenerit, scilicet quanto pluris eget ad adipiscendum maritum, qualem adipisceretur manens virgo: idque arbitrio boni viri. Item aliquid aliud ob verecundiam & contumelias quas tota vita passura est. ibidem.

Quod si promisit se ducturum eam, siue ex animo, siue fictè ad decipiendum eam, obligatur ad implenda promissa in utroque foro, & multò magis si id iuramento firmavit, ni essent valde inæquales genere vel diuitiis. Nam tunc tantum obligaretur ad addendum id quo magis habet opus ad adipiscendum talem maritum, qualem adipisceretur,

Ii 5

retur, si non esset infamata, vel ad collocandum eam in statu honesto. Idem dicendum, quando, licet promissio facta fuerit verè, tamen probabiliter timeretur, ex tali matrimonio nasciturum graue scandalum. Idem in eo qui promittit, sed est sacris initiatus, vel aliam habet vxorem, vel pater omnino renuit tradere filiam corruptori. num. 18.

Et vltra prædicta tenetur, & obligatur ad placandum eius patrem, & satisfaciendam iniuriam ei illatam. ibidem.

Qui virginem dolo vel importunis precibus corrumpit, tenetur illi satisfacere detrimentum illatum ex fractione sigilli; licet illa æquè bene nuberet ac si non amisisset sigillum. hoc autè locum habet quando maritus deprehendit talem defectum: & propter hoc discedit ab ea, & peregrè proficiscitur, vel eam nimis seuerè tractat: secus, quando non deprehendit talem defectum. num. 19. dicto 6.

Qui dolo vel importunis precibus cognouit per copulam mulierem ab alio vitiatam, sed pro virgine reputatam, & per hoc infamauit eam, tenetur ad resarciendam infamiam. num. 19. dict. 7.

Voluntas conditionalis habendi copulam, si, vel quando fuerit vxor, nõ est peccatũ. nu. 9. in fine. Secus, si consentiret delectationi, quæ ex tali cogitatione oriretur. ibid.

Lic

Licitum est habere spem habendi copulam cum vxore futura, non tamen licet consentire delectationi ex tali spe oboriunda. ibidem.

Propositum, vel desiderium quoduis deliberatum copulæ illicitæ, est peccatum mortale. Idem de delectatione morosa. cap. 16. num. 9. §. 5.

Delectatio morosa carnalis, est duplex, tacita vel expressa: Tacita est *quando aduertens homo se illa teneri, & duci in periculum consentiendi, non expellit, nec nititur expellere, sine iusta causa qua eum excuset à tali expulsionem.* ibidem.

Expressa est *quando quis deliberatè consentit in delectationem, & fruitur ea, qua est orta ex lasciuis cogitationibus, in sensu appetitiuo: & vtraque est mortalis.* ibidem.

Et toties peccat, & talibus speciebus, quoties habuit illud propositum, vel delectationem morosam, interrumpendo illa, siue circa vnam personam, vel multas: & iuxta circumstantias personarum circa quas versatur illæ cogitationes deliberatæ, vel delectationes morosæ. Et ideo numerus & circumstantiæ eorum, necessariò sunt confitendæ. num. 6. §. 5.

Quæuis peccata cordis, oris, & operis sunt eiusdem speciei, differunt tamen secundum
maio

maiolem, vel minorem perfectionem. ibid.

Peccat mort. qui deliberatè consentit, & delectatur, ex delectatione quæ oritur ex cogitatione copulæ cum vxore futura, vel si alioquin liceret. num. 9. §. 6.

Peccant mort. viduus vel vidua, qui deliberatè delectatur, & gaudet cogitatione copularum carnalium licitè habitatum cum coniuge iam mortuo: idem si ex tali cogitatione aduertunt se esse in periculo pollutionis. Nō tamen peccāt, si meminerint copularum habitatum, id est, quod eas licitè habuerint, & in eis delectati fuerint, & gaudeāt de illis tamquā de præteritis licite habitatis: imò & possunt illas velle habere, si quæ ratione fieri possēt. Sed non licet nunc actu consentire delectationi, quæ ex tali cogitatione oritur. Idem dicendum de eo, qui ex recordatione copulæ licitæ præteritæ, vel futuræ coniugis absentis habet delectationem carnalem, & consentit in eam, scilicet quod peccat. cap. 16. num. 10.

Peccat mort. qui deliberatè vult amplecti, tangere, osculari fœminam, vel amplectitur, osculatur & tangit eam, etiam tactu nō impudico, animo tamen fruendi delectatione carnali quæ oritur ex his actibus. Quod etiam procedit ad eum qui tangit personam quam desiderabat in coniugem accipere, si nondum

non dum accepit. Secus si omnes actus inde-
liberare velit, vel si eos faciat ad finem ho-
nestum. num. 11. dict. 1.

Alloqui, vel videre foeminam, etiam ob
eius pulchritudinem, si adsint circumstan-
tia honesta, non est peccatum. Si vero fiant
ob solam curiositatem sine fine luxuria,
tantum est veniale. Si vero adsint circum-
stantia loci, temporis, & modi, aut alia pec-
cati mortalis, vel ad illud, vel ad eius peri-
culum, vel consensum inducentes, erit mor-
tale. num. 11. dict. 2.

Tactus, amplexus, & oscula inter spon-
sos contrahentes sponsalia de futuro, si fiat cum
cautela honesta, & sine periculo pollutio-
nis, vel consensu, & tactus non sint impu-
dici de se, licite fiunt. Sed quia raro contin-
git, ut sine tali periculo fiat, expedit ut auer-
tantur donec coniuges fiant. num. 12.

Tactus de se impudici, inter non coniu-
ges, imò etiam inter sponsales de futuro
sunt mortales, & nunquam cõsentire in eos
oportet. Ad quos euitandos eadem defen-
sione utendum est qua circa copulam vi ten-
tatam dictum est. num. 13.

Tactus impudici inter coniuges, ex qui-
bus euenit eis pollutio, vel ipsi eis illam in-
tendunt, vel periculo pollutionis se expo-
nunt, sunt mortales. cap. 16. num. 41.

Peccat

Peccat mort. qui animo concupiscendi alienam, pergit ad Ecclesiam, vel qui mittit, vel recipit epistolas, vel aliqua dona, vel quærit mediatrices, vel exhibet se videndum in loco in quo concupiscatur ab alio. num. 13. vel eo animo se ornat; secus si faciat animo, vt ametur honestè, licet carnaliter, in finem contrahendi matrimonium. Item peccat mort. qui delectatur canendo, loquendo, vel audiendo verba luxuria. num. 14.

Peccat mort. qui vtitur obscenis cantilenis, verbis, & gestibus, inducens, vel credens, aut credere debens alium peccaturum mortaliter. cap. 23. num. 123.

Peccat mort. qui nutu oculorum, verbis, vel cantu nititur aliquem inducere ad peccatum, vel consensum luxuriæ: vel curauit, vt se comitarentur aliqui in finem mortiferum, ad musicam, hastiludia, & similia ad prouocandum aliquem ad luxuriam. Item qui vel quæ falsò gloriatur cum illo, vel illam rem habuisse. num. 14.

Peccat mort. qui comedit aut bibit plusquam oportet, vel quærit aromata, vel cibos calidos in finem luxuriæ: nisi sit coniu. num. 15.

Peccat mort. qui comedit aliquem cibū, credens eius vsu se vincendum esse ab ali-
qua

qua graui tentatione carnis. cap. 21. num. 11.

Non tamen sufficit grauem se passurum tentationem, dummodò credat se non esse vincendum. cap. 21. num. 11. & cap. 3. nu. 5. lit. D. Nou. n. 21.

Peccat mort. qui alicui poculum amatorium propinat, vt ab ipso ametur. cap. 11. num. 32.

Comedere cibos calidos inducentes ad tentationem carnis, non est occasio propinqua, nec in se peccatum mort. neque facit quasi semper peccare mortal. eos, qui illis vtuntur, dummodò non comedat illos in finem pollutionis vel fornicationis. Tunc enim esset mort. & non deberet absolui, qui vescitur illis, nisi verè proponat se illis non vsurum. cap. 3. nu. 5. lit. I. Nou. n. 25.

De faciente, aut proponente imagines lasciuè depictas, & ad luxuriam prouocantes. vide tit. Imago.

Peccat mortal. quem piget impotentiae coeundi luxuriosè; secus si pigeat impotentiae ad copulam matrimonialem. cap. 16. num. 15.

Peccat mortaliter qui mala intentione sequitur mulierem, & eò grauius, quò diuturnius. Quòd si mulier sit honesta, tenetur ille restituere illi famam, ob infamiam ei inde

inde sequutam. c. 16. num. 15.

Peccat mortaliter, qui dat, aut locat domum meretrici ad meretricandum: Secus si det ei illam ad inhabitandum tantum. c. 16. num. 15.

Concubinarius cohabitans concubina, numquam debet absolui, nisi separetur ab ea cum vero proposito numquam redeundi ad eam. c. 16. n. 20.

Quod si in eadem domo possent cohabitare sine peccato (quod tamen raro continget) etiam non sunt absoluendi, nisi vere ac firmiter proponant se numquam, neque verbo, aut opere simul habitaturos, aut conuersaturos. cap. 16. num. 20.

Idem dicendum de his quos populus credit esse concubinarios, licet non sint, nempe quod debent separari ob vitandum scandalum. ibidem.

Idem dicendum de eo, cui videtur quod non vitabit peccatum mortale, nisi separetur ab ea persona, cum qua cohabitatur, etiam si sit pater, mater, filius, filia, frater, soror, maritus, vxor: & ancilla, qua Dominus eius abutitur luxuriosè, debet non solum separare se ab eo: sed etiam, iuste potest fugere. nu. 21. imò & potest compellere eum, vt se vendat alteri. ibidem.

Concubinarij peccant mort. & communititer

MALEDICTIO. 513

niter sunt excommunicati per constitutiones synodales: & hodie vbiuis gentium sunt excommunicandi prius legitime moniti, & concubinæ sunt in exilium mittendæ iuxta Trident. num. 23.

MALEDICTIO.

MALEDICENS seu imprecans mortem alicui & toti eius familiæ, duo tantum peccata committit, non tot quot sunt personæ familiæ. Idem de eo qui blasphemando maledicit Petro, & Vndecim Apostolis. cap. 6. num. 18. in Nouo additum.

Qui deliberatè maledicit imprecando sibi malum, cui non licet consentire, vel proximo malum notabile sub ratione mali, peccat m. Secus si fiat indeliberatè, vel ore tantum vt communiter fit. cap. 23. nu. 117. Imprecari autem sibi damnus boni, quod posset prodigere, non est mortale. Ibidem.

Peccat mort. qui maledicit diabolo ratione suæ naturæ: secus ratione culpæ. n. 117.

Qui creaturas rationales vel irracionales commendat, vel committit diabolo, quatenus sunt creaturæ Dei, blasphematur. Quod maledicat eis quatenus sunt res proximi,

K k idem